

www.e-rara.ch

Epistolarum familiarium M. T. Ciceronis libri XVI

Cicero, Marcus Tullius

Tiguri, anno 1563

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: AW 794

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-4914>

M. T. Ciceronis epistolarum familiarum lib. decimusquartus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

M. T. CICERONIS
EPISTOLARVM FA-
MILIARVM LIB.
DECIMVS QVAR-
TVS.

Deflet suam suorumq; calamitatem Cicero, & quam spem redeundi ab exilio habeat ostendit. Postremo dissuadet uillae uenditionem Terentiae.

M. T. Cicero, Terentiae, & Tulliolae, &
Ciceroni suis S. D. 352.

Lamentato-
ria est epi-
stola, iuxta
narratoria
& dissua-
soria.



Querela est
pathetica.

Literis multorum, & sermone om-
nium perfertur ad me, incredibilem
tuam uirtutem & fortitudinem esse,
teq; nec animi, nec corporis laboribus
defatigari. Me miserum: te ista uirtute, fide, probi-
tate, humanitate, in tantas aerumnas propter me inci-
disse: Tulliolamq; nostram, ex quo patre tantas uo-
luptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus.
Nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum
sapere coepit, acerbissimos dolores miserasq; per-
cepit: quae si, ut tu scribis, fato facta putarem, ser-
rem paulò facilius: sed omnia sunt mea culpa com-
missa, qui ab his me amari putabam, qui inuidebant:
eos non sequebar, qui petebant: Quod si nostris con-
silijs usi essemus, neque apud nos tantum ualuisset
sermo aut stultorum amicorum, aut improborum:
beatif.

beatissimi uiueremus. Nunc quādo sperare nos amici iubent, dabo operam, ne mea uoletudo tuo labori desit. Res quanta sit, intelligo, quantoq; fuerit facilius manere domi, quā redire. Sed tamen si omneis Trib. pleb. habemus, si Lentulum tam studiosum, quā uis detur, si uerò etiam Pompeium & Cesarem, non est desperandum. De familia, quomodo placuisse amicis scribis, faciemus. De loco nunc quidem iam abiit per silentia: sed quā diu fuit, me non attigit. Plancus homo officiosissimus me cupit esse secum, & adhuc retinet. Ego uolebam loco magis deserto esse in Epiro, quò neque Hyspo ueniret nec milites. Sed adhuc Plancus me retinet: sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat. Quem ego diem si uidero, & si in uestrum complexum uenero, ac si & uos, & me ipsum recuperaro: satis magnum fructum uidebor percepisse, & uestre pietatis, & mee. Pisonis humanitas, uirtus, amor in omneis nos tantus est, ut nihil suprà possit esse. Utinam ea res ei uoluptati sit: glorie quidem uideo fore. De Q. fratre nihil t̄ ego te accusaui: sed uos, quum præsertim tam pauci sitis, uolui esse quā coniunctissimos. Quibus me uoluisti agere gratias, egi: & me à te certiolem factum esse scripsi. Quòd ad me mea Terentia scribis, te uicum uendituram: quid obsecro te (me miserum) quid futurum est? Et si nos premet eadem fortuna, quid pueri misero fiet? Non queo reliqua scribere, tanta uis lachrymarum est, ne te in eundem fletum adducam. Tantum scribo, si erunt in officio amici, pecunia non

Ostendit in quibus habet spem sui in patriam reditus.

Narratio culæ.

et alio longe

Pathos est. Dissuadet Terentiæ ne uillam diuendat.

Obtestatio.

Conclusio.

deerit: si non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. Per fortunas miseras nostras uide, ne puerum perditum perdamus. Cui si aliquid erit, ne egeat, me diocri uirtute opus est, & mediocri fortuna, ut cætera consequatur. Fac ualeas, & ad me tabellarios mittas, ut sciã quid agatur, & uos quid agatis. Mihi omninò iam breuis expectatio est. Tulliolæ & Ciceroni salutem dic. Valete. Datum ad V I. Calen. Decemb. Dyrrhachij. Dyrrhachium ueni, quòd & libera ciuitas est, & in me officiosa, & proxima Italia, Sed si me offendet loci celebritas, aliò me conferam, & ad te scribam.

Principio excusat sã cur breuius ad Terentiam scribat. Deinde conqueritur de sua suorumq; desolatione, & quàm ægrè acceperit proscriptas fuisse res, exponit. Postremò etiã dissuadet, ne sumptum in ædificando faciat, sed ualitudinem suam curet.

M. T. Cicero, Terentiæ, & Tulliolæ, &
Ciceroni suis S. D. 333.

Commen-
datoria est
& dissuasio
epistola
Excusat in
exordio
breuitatem
literarum.

Ad uaria
respondet.

NOli putare me ad quenquam longiores epistolas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. Nec enim habeo quod scribam, nec hoc tempore quicquam difficilius facio. Ad te uerò, & ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lachrymis scribere. Vos enim uideo esse miserarimas, quas ego beatissimas semper esse uolui. Idq; præstare debui: & nisi tam timidi fuissetus, præstissem. Pisonem nostrum merito eius amo plurimum.

Eum,

Eum, ut potui, per literas cohortatus sum, gratiasq;
 egi, ut debui. In nouis Tribunis plebis intelligo te spē
 habere: id erit firmum, si Pompeij uoluntas erit: sed
 Crassum tamen metuo. A te quidem omnia fieri for-
 tissimè & amantissimè uideo, nec miror: sed moereo
 casum eiusmodi, ut in tātis tuis miserijs miseriæ meæ
 subleuentur. Nam ad me P. Valerius homo officiosus
 scripsit id, quod maximo cum fletu legi, quemadmo-
 dum à Vestæ ad tabulam Valeriam ducta esses. Hem
 mea lux, meum desiderium, unde omnes opem pete-
 re solebant, te nunc mea Terentia sic uexari, sic iacē-
 cē in lachrymis & sordibus: idq; fieri mea culpa,
 qui ceteros seruauī, ut nos periremus? Quod de do-
 mo scribis, hoc est, de area, ego uerò tum deniq; mihi
 uidebor restitutus, si illa nobis erit restituta. Verū
 hæc non sunt in nostra manu. Illud doleo, quæ impen-
 sa faciendā est in eius parte, te miseram & despolia-
 tam uenire. Quòd si conficitur negociū, omnia con-
 sequemur: sin eadem nos fortuna premet, etiāne re-
 liquias tuas misera proijcias? Obsecro te mea uita,
 quod ad sumptum attinet, & sine alios qui possunt,
 si modò uolunt, sustinere: & ualeitudinem istam in-
 firmam, si me amas, noli uexare. Nam mihi ante oculos
 dies noctesq; uersaris. Omneis labores te exci-
 pere uideo, timeo ut sustineas: sed uideo in te esse om-
 nia. Quare, ut id quod speras, & quod agis, conse-
 quamur, serui ualeitudini. Ego ad quos scribam, ne-
 scio: nisi aut ad eos, qui ad me scribunt, aut ad eos, de
 quibus ad me uos aliquid scribitis. Longius, quando

Querela est
pathetica.

Dissuadet
Terentiæ
sumptum in
ædificādo.

uobis ita placet, non discedam: sed uelim quàm sepius-
simè literas mittatis, præsertim si quid est firmitus,
quod speremus. Valete mea desideria, ualete. Datum
ad III. Nouas Octobris Thessalonice.

Conqueritur & hac epistola, quod culpa sua & ipse & sui
in mœroribus sint. Deinde ad uaria capita literarum uxoris
respondet. Postremò dicit, se cupere certiorē fieri quid de
sua restitutione agatur.

M. T. Cicero, Terentia, & Tulliola, &
Ciceroni suis S. D. 354.

A querela
exorditur.

Accepi ab Aristocrito treis epistolas, quas ego
lachrymis propè deleui. Conficior enim mœro-
re mea Terentia, nec me meæ miseriæ magis excru-
ciant, quàm tuæ, uestræq; . Ego autem hoc miserior
sum, quàm tu, quæ es miserrima, quod ipsa calamitas
communis est utriusque nostrum, sed culpa mea pro-
pria est. Meum fuit officium, uel legatione uitare pe-
riculum, uel diligentia & copijs resistere, uel cade-
re fortiter. Hoc miserior, turpius, indignius nobis ni-
hil fuit. Quare cùm dolore conficior, tum etiam pu-
dore. Pudet enim me uxori meæ optimæ, suauissimis
liberis, uirtutem & diligentiam nō præstitisse. Nam
mihi ante oculos dies ac noctes uersatur squalor ue-
ster & mœror, & infirmitas ualetudinis tuæ: spes
autem salutis pertenuis ostēditur. Inimici sunt multi,
inuidi penè omnes. Ejicere nos magnum fuit, exclu-
dere facilè est. Sed tamen, quandiu uos eritis in spe,
non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse uidean-
tur.

tur. Vt tutò sim, quod laboras, id mihi nunc facilissimum est, quem etiam inimici uolunt uiuere in tantis miserijs. Ego tamen faciam, quæ præcipis. Amicis, quibus uoluisti, egi gratias: et eas literas Desippo dedi, neq; de eorum officio scripsi à te certiore esse factum. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos et officio, & ego perspicio, & omnes prædicant. Dij faciant, ut tali genero mihi præsentì tecum simul & cum liberis nostris frui liceat. Nunc spes reliqua est in nouis Tribunis plebis, & in primis quidem diebus. Nam si inueterarit, actum est. Ea re ad te statim Aristocritum misi, ut ad me continuò initia rerum, & rationem totius negocij posses scribere, etsi Desippo quoq; ita, statim ut recurreret, imperaui, & ad fratrem misi, ut crebrò tabellarios mitteret. Nam ego eo nomine sum Dyrrhachij hoc tēpore, ut quàm celerrimè quid agatur audiam, & sim tutò. Ciuitas enim hæc semper à me defensa est. Cum inimici nostri uenire dicentur, tum in Epirum ibo. Quod scribis te, si uelim, ad me uenturam: ego uerò quum sciā magnam partem istius oneris abs te sustineri, te isthic esse uolo. Si perficitis quod agitis, me ad uos uenire oportet. Sin autem. Sed nihil est opus reliqua scribere: ex primis, aut ad summum secundis literis tuis constituere poterimus, quid nobis faciendum sit. Tu modò ad me uelim omnia diligentissimè perscribas: etsi magis iam rem, quàm literas debeo expectare. Cura ut ualeas, & ita tibi persuadeas, mihi te charius nihil esse, neq; unquam fuisse. Vale mea

Ad uaria
respondet.

Terentia, quam ego uidere uideor, itaque debitor lachrymis. Pridiè Calend. Decembris, Dyrrhachij. Vale.

Pathetica est epistola, & affectibus honestis plena, in qua ad uaria epistolæ uxoris capita rescribit.

M. T. Cicero Terentiæ, & Tulliolæ, &
Cicer. suis S. D. 355.

Responso-
ria est ad
uaria iuxta
epistolam
Terentiæ.
Excusat ra-
tatem lite-
rarum.

Vbi sit o-
scendit.

Quando
Brundisio
abierit.

EGO minus sæpè ad uos do literas, quam possum, propterea quòd cum omnia mihi tempora sunt misera, tum uerò, cum aut scribo ad uos, aut uestras lego, conficior lachrymis sic, ut ferre non possim. Quòd utinam minus uitæ cupidus fuissim: certè nihil, aut non multum in uita mali uidissemus. Quòd si nos ad aliquam alicuius commodi aliquando recuperandi spem fortuna reseruauit, minus est erratum à nobis: sin hæc mala fixa sunt, ego uerò te quàm primum, mea uita, cupio uidere, & in tuo complexu emori: quando neq; Diij, quos tu castissimè coluisti: neque homines, quos ego seruauì semper, nobis gratiam retulerunt. Nos Brundisij apud M. Lemnium Flaccum dies XIII. fuimus, uirum optimum, qui periculum fortunarum & capitis sui pro mea salute neglexit: neque legis improbißimæ poena deductus est, quò minus hospitij & amicitie ius officiumq; præstaret. Huic utinam aliquando gratiam referre possimus: habebimus quidem semper. Brundisio profecti sumus ad V. Calend. Maij per Macedoniam, Cyzicum

zicum petebamus. O me perditum, ô me afflictum, quid nunc rogem te, ut uenias, mulierem agram, & corpore & animo confectam? non rogem? Sine te igitur sim? Opior, sic agam. Si est spes nostri reditus, eam confirmes, & rem adiuues. Sin, ut ego metuo, transactum est, quoquo modo potes, ad me fac uenias. Vnum hoc scito, si te habebo, non mihi uidebor planè perijsse. Sed quid de Tulliola mea fiet? iam id uos uidete: mihi deest consilium. Sed certè quoquo modo res se habebit, illius misellæ & matrimonio & famæ seruiendum est. Quid Cicero meus, quid aget? Iste uerò sit in sinu semper & complexu meo. Non quæo plura iam scribere: impedit mœror. Tu quid egeris, nescio: utrum aliquid teneas, an, quod metuo, planè sis spoliata. Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrum. De familia liberata, nihil est quod te moueat. Primum tuis ita promissum est, te facturum esse ut quisq; esset meritus. Est autem in officio adhuc Orpheus: præterea magnoperè nemo. Cæterorum seruorum ea causa est, ut si res à nobis abesset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent: sin ad nos pertinerent, seruirent, præterquàm oppidò pauci. Sed hæc minora sunt. Tu quòd me hortaris ut animo sim magno, & spem habeam recuperandæ salutis, id uelim sit eiusmodi, ut rectè sperare possimus. Nunc miser quando tuas iam literas accipiam? Quis ad me perferet? quas ego expectassem Brundusij, si esset licitum per nautas, qui tempestatem prætermittere noluerunt. Quod reliquum est, sustenta te mea Terentia,

Ad uaria
respondet.

ut potes: honestissime uiximus: floruius: nō uitium nostrum, sed uirtus nostra nos afflixit. Peccatum est nullum, nisi quod non unā animam cum ornamentis amissimus. Sed, si hoc fuit liberis nostris gratius, nos uiuere: cetera, quanquam ferenda non sunt, feramus. Atque ego, qui te confirmo, ipse me non possum. Clodium Philetærum, quod ualitudine impediatur oculorum, hominem fidelem, remisit. Salustius officio uincet omneis spes. Cennius est perbeneuolus nobis, quem semper spero tui fore obseruantem. Sicca dixerat se mecum fore: sed Brundisio discessit. Cura, quoad potes, ut ualeas, et sic existimes, uehementius me tua miseria, quā mea commoueri. Mea Terentia fidiſſima atq; optima uxor, et mea chariſſima filiola, et spes reliqua nostra Cicero, ualete. Pridiē Calendas Maias, Brundisio.

Narrat Terentiæ quomodo cum filio nauigauerit, quodq; literas eius acceperit: quidq; ea agere debeat, edocet.

M. T. Cicero, Terentiæ suæ S. D. 356.

Narratio:

SI tu et Tullia lux nostra ualetis, ego et suauissimus Cicero ualemus. Pridiē Idus Octobris Athenas uenimus, cum sanē aduersis uentis usi essemus, tardeq; et incommode nauigassemus. De nauicuntibus nobis, Achastus cum literis nobis præstō fuit uno et uigesimo die: sanē strenuē accepi tuas literas, quibus intellexi te uereri, ne superiores mihi reddite non essent. Omnes sunt reddite, diligentissimēq; à te

meq; à te perscripta sunt omnia: idq; mihi gratissimum fuit. Neq; sum admiratus hanc epistolam, quam Achastus attulit, breuem fuisse: iam enim meipsum expectas, siue nosipsos: qui quidem quàm primum ad uos uenire cupimus: etsi, in quàm Rempub. uenimus, intelligo. Cognoui enim ex multorū amicorum literis, quas attulit Achastus, ad arma rem spectare, ut mihi, cū uenero, dissimulare non liceat, quid sentiam. Sed, quādo subeunda fortuna est, eò citius dabitur operam ut ueniamus, quò facilius de tota re deliberemus. Tu uelim, quod cum comodo uoletudinis tuæ fiat, quàm longissimè poteris, obuiam nobis ^{† al. pro} peres. De hereditate Prætiana, quæ quidem mihi ^{deas.} magno dolori est (ualde enim illum amaui) hoc uelim ^{Cōsiliū dat} cures, si auctio ante meum aduentum fiet, ut Pomponius, aut si is minus poterit, Camillus nostrum negocium curet. Nos, cū salui uenerimus, reliqua per nos agemus: sin tu iam Roma profecta eris, tamen curabis ut hoc ita fiat. Nos si dii adiuuabunt, circiter Idus Nouēbris in Italia speramus fore. Vos mea suauissima & optatissima Terentia, & Tulliola, si nos amatis, curate ut ualeatis. Athenis ad XV. Calend. Nouembris.

Mixtum est epistolum: nam & excusat se quòd raro scribat, & de prædij uēditione ait se cognouisse, & petit ut satisfaciat cuidam, & Pollucem seruum ad se mitti cupit.

M. T. Cicero, Terentiæ S. D. 357.

Cur raro
scribas,

Nec sèpè est, cui literas demus: nec rem habemus ullam, quam scribere uelimus. Ex tuis literis, quas proximè accepi, cognoui, prædium nullum uanire potuisse. Quare uideas uelim, quomodo satis fiat ei, cui scis me satisfieri uelle. Quòd nostra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possis. Pollucem, si adhuc non est profectus, quàm primùm fac extrudas. Cura ut ualeas. Idibus Quintil. Vale.

Exponit uxori, quomodo eiecta bile, sanatus sit, & hortatur ut bono animo sit. Postremò ostendit ubi commodè degere possit.

M. T. Cicero, Terentiæ suæ S. D. 358.

A narratio
ne.

Obliqua
horatio
est.

Omneis molestias & sollicitudines, quibus et temiserrimam habui, quòd mihi molestissimum est, Tulliolamq; quæ nobis nostra uita dulcior est, deposui & eieci. Quid causæ autem fuerit, postridiè intellexi, quàm à uobis discepsi. *τοῦτον ὁ κρηάτορ* noctu eieci statim. Ita sum leuatus, ut Deus mihi aliquis medicinam fecisse uideatur. Cui quidem tu Deo, quemadmodum soles, piè & castè satisfacias, id est, Apollini & Aesculapio. Nauim spero nos ualdè bonam habere: in eam simulatq; conscendi, hæc scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiareis multas epistolas, quibus te, & Tulliolam nostram, diligentissimè commendabo. Cohortarer uos, quò animo fortiore essetis, nisi uos fortiores cognoscerem, quàm quenquam uirum.

uirum. Et tamen eiusmodi spero negocia esse, ut & uos istic commodissime sperem esse, & me aliquando cum similibus nostri Rempub. defensurum. Tu primum ualitudinem tuam uelim cures. Deinde, tibi si uideatur, uillis ijs utere, quæ longissime aberunt à militibus. Fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, si annona carior fuerit. Cicero bellissimus tibi salutem pl. d. Vale. Datum III. Idus Iunij.

Rogat ut ualitudinem curet, & gaudere se dicit, quòd de Cæsaris literis certior factus sit.

M. T. Cicero, Terentiæ suæ. S. D. 359.

SI uales, bene est, ego quidem ualeo. Valetudinem tuam uelim cures diligentissime. Nam mihi & scriptum & nunciatum est, te in febrim subito incidisse. Quòd celeriter me fecisti de Cæsaris literis certio- Epistolæ
istę breues,
quia non
ad eam arte
conscriptę
sunt, præter
ibuntur à
me. tiorem, fecisti mihi gratum. Item posthac, si quid opus erit, si quid acciderit noui, facies ut sciam. Cura ut ualeas. Vale. Datum IIII. Nonas Iunias.

Ostendit se incertum esse animi.

M. T. Cicero, Terentiæ suæ. S. D. 360.

AD ceteras meas miseras accessit dolor è Dola- bella ualitudine, & Tullie. Omnino de omnibus rebus nec quid consilij capiam, nec quid faciam, scio. Tu uelim tuā, & Tullie ualitudinē cures. Vale.

Excusat se cur clarius & longius non scribat.

M. T. Cicero, Terentiae suae S. D. 361.

Quid fieri placeret, scripsi ad Pomponiū seri-
rius, quā oportuit. Cum eo si locuta eris,
intelliges quid fieri uelim. Apertius scribi,
quoniam ad illum scripseram, necesse non fuit. De ea
re, & de cæteris rebus, quā primum uelim nobis li-
teras mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Va-
le. VII. Idus Quintilis.

Dolere se dicit de Tulliae fortuna.

M. T. Cicero, Terentiae S. D. 362.

Suales, benè est, ego quidem ualeo. Tullia nostra
Suenit ad me pridie Idus Iunij, cuius summa uirtus
te, & singulari humanitate, grauiore etiam sum do-
lore affectus, nostra factum esse negligentia, ut longè
alia in fortuna esset, atq; eius pietas ac dignitas postu-
labat. Nobis erat in animo, Ciceronem ad Cæsarem
mittere, & cum eo Cn. Salustium. Si profectus erit,
faciam te certiores. Valetudinem tuam diligenter
cura. Vale. XIII. Calend. Quintilis.

Nunciatoria & dehortatoria est.

M. T. Cicero, Terentiae suae S. D. 363.

Quod nos in Italiam saluos uenisse gaudes,
perpetuò gaudeas uelim. Sed perturbati do-
lore animi, magnisq; iniurijs, metuo ne id
consilij

consilij ceperimus, quod non facile explicare possumus. Quare quantum potes adiuua: quid autem possis, mihi in memem non uenit. In uiam quòd te des hoc tempore, nihil est: longum est iter, & non tutum: & non uideo quid prodesse possis, si ueneris. Vale. Datum pridie Nonas Nouembris Brundisij.

Consilium dat uxori.

M. T. Cicero, Terentiae suae S. D. 364.

Quod scripsi ad te proximis literis de nuncio remittendo, quæ sit istius uis hoc tempore, & quæ concitatio multitudinis, ignoro. Si metuendus iratus est, quies tamē ab illo nascetur fortasse. Totum iudicabis quale sit: & quod in miseris rebus miserum minimè putabis, id facies. Vale.
VII. Idus Quint.

Rursus consulit Terentiæ quid agendum sit, sed explicatius, quàm in superiore.

Tullius Terentiæ, & pater Tulliæ duabus animis suis, & Cicero matri optimæ, & suauissimæ sorori S. D. 365.

Si uos ualeatis, nos ualemus. Vestrum iam consilium est, non solum meum, quid sit uobis faciendum. Si ille Romam modeste uenturus est, rectè in præsentia domi esse potestis: sin homo amēs diripien-
dam urbem daturus est, uereor ut Dolabella ipse sc-

Narratoria est epistola.
Exponit consilium suum Cicero.

tis nobis pròdesse possit. Etiam illud metuo, ne iam in-
tercludamini, ut cum exire uelitis, non liceat. Reli-
quum est, quod ipsæ optimè considerabitis, uestri si-
miles sceminae sint in Romæ. Si enim non sunt, uiden-
dum est ut honestè uos esse possitis. Quomodoque
nunc res se habet, modò ut hæc uobis loca tenere li-
ceat bellissimè, uel mecum, uel in nostris prædijs esse
poteritis. Etiam illud uerendum est, ne breui tempore
refames in urbe sit. His de rebus uelim cum Pompos-
nio, cum Camillo, cum quibus uobis uidebitur, consi-
deretis. Ad summam, animo forti sitis. Labienus rem
melio rem fecit. Adiuuat etiam Piso, quòd ab urbe di-
scedit, & sceleris condemnat generum suum. Vos
meæ charissimæ animæ, quàm sapissime ad me scribi-
te, & uos quid agatis, & quid isthic agatur. Quin-
tus frater & filius, & Rufus uobis salutem dicunt.
Valete. VIII. Calend. Quintileis. Minturnis.

Nunciatoria de rebus.

M. T. Cicero, Terentia suæ S. D. 366.

SI uales, bene est, ego quidem ualeo. Constitueram-
mus, ut ad te antea scripseram, obuiam Cicero-
nè Casari mittere, sed mutauimus consiliū, quia
de illius aduentu nihil audiebamus. De cæteris rebus
etsi nihil erat noui, tamen quid uelimus, & quid hoc
tempore putemus opus esse, ex Sicca poteris cognos-
cere. Tulliam adhuc mecum tenco. Valetudinem
tuā cura diligenter. Vale. XII. Calend. Quintileis.

Literas

Literas ab uxore expectat, & dolorem, quem à Voluminia acceperat, explicat.

M. T. Cicero, Terentiae suae S. D. 367.

Etsi eiusmodi tempora nostra sunt, ut nihil habeam quod aut à te literarum expectem, aut ipse ad te scribam: tamen nescio quo modo & ipse uestras literas expecto, & scribo ad uos, cum habeo, qui ferat. Voluminia debuit in te officiosior esse, quam fuit: & id ipsum quod fecit potuit diligentius facere, & cautius: quanquam alia sunt, quae magis curemus, magisque doleamus: quae me ita conficiunt, ut ij uoluerunt, qui me de mea sententia detruserunt. Cura ut ualeas.

Excusatoria cur nihil scribat.

M. T. Cicero, Terentiae suae S. D. 368.

Si uales, bene est, ego ualeo. Si quid haberem, quod ad te scriberem, facerem id & pluribus uerbis, & saepius, nunc quae sunt negotia uides. Ego autem quomodo sim affectus, ex Lepta & Trebatio poteris cognoscere. Tu fac ut tuam & Tulliae ualetudinem cures. Vale.

Monitoria est epistola.

M. T. Cicero, Terentiae & Tullioli suis
S. D. 369.

Considerandum uobis etiam atque etiam animae meae diligenter puto, quid faciatis, Romae

ne sitis, an mecum in aliquo tuto loco. Id non solum meum consilium est, sed etiam uestrum. Mihi ueniunt in mentem hæc, Romæ uos esse tuto posse per Dolabellam: eamq; rem posse nobis adiumento esse, si qua uis, aut si quæ rapina fieri cœperint. Sed rursus illud me mouet, quod uideo omnes bonos abesse Romæ, & eos mulieres suas secum habere. Hæc autem regio, in qua ego sum, nostrorum est tum oppidorum, tum etiam prædiorum: ut & multum esse mecum, & cum abieritis, commodè etiam in nostris prædijs esse possitis. Mihi non planè satis constat adhuc, utrum sit melius. Vos uidete, quid aliæ faciant isto loco fœmine, & ne, cum uelitis exire, non liceat. Id uelim diligenter etiam atq; etiam uobiscum, & cum amicis consideretis. Domus ut propugnacula, & præsidium habeat, Philotimo dicetis: & uelim tabellarios instituat certos, ut quotidie aliquas à uobis literas accipiam. Maximè autem date operam, ut ualeatis, si nos uultis ualere. VIII. Calend. Febru. Formijs.

Nunciatoria est epistola.

M. T. Cicero, Terentiæ suæ S. D. 370.

IN maximis meis doloribus excruciat me ualetudo Tullie nostræ, de qua nihil est quod ad te plura scribam. Tibi enim æquè magnæ curæ esse, certò scio. Quòd me propius uultis accedere, uideo ita esse faciendum: etiam antè fecissem, sed me multa impedierum, quæ ne nunc quidem expedita sunt. Sed à Pomponio

ponio expecto literas, quas ad me quàm primùm perferendas cures uelim. Da operam ut ualeas.

Monitoria ut balneum paret.

M. T. Cicero, Terentia suæ S. D. 371.

IN Tusculanum nos uenturos putamus, aut Nonis, aut postridie, ibi fac ut sint omnia parata. Plures enim fortasse nobiscum erunt: & ut arbitror, diutius ibi commorabimur. Labrum si in balneo non est, fac ut sit. Item cætera, quæ sunt ad uictum, & ualitudinem necessaria. Vale. IIII. Calend. Octobris, de Venusio.

Hortatur ut ualetudinem curet.

M. T. Cicero, Terentia suæ S. D. 372.

SI uales, bene est, ego ualeo. Da operam ut conualescas. Quod opus erit, ut res tempusq; postulat, prouideas atq; administres, & ad me de omnibus rebus quàm sepius literas mittas. Vale.

M. T. Cicero, Terentia suæ S. D. 373.

SI uales, bene est, ego ualeo. Nos quotidie tabellarios uestros expectamus: qui si uenerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit, faciemusq; te statim certiozem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Calend. Septembris.

Nunciatoria & petitoria.

M. T. Cicero, Terentia suæ S. D. 374.

Si uales, bene est, ualeo. Redditæ mihi iam tandem sunt à Cesare literæ satis liberales, & ipse opinione celerius uenturus esse dicitur: cui utrum obuiam procedam, an hîc eum expectem, cum constituero, faciam te certiore. Tabellarios mihi uelim quàm primum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Pridie Calend. Sextileis.

M. T. Cicero, Terentia suæ S. D. 375.

Si uales, bene est, ualeo. Nos neque de Cesaris aduentu, neq; de literis, quas Philotimus habere dicitur, quicquam adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciam te statim certiore.

Valetudinem tuam fac ut cu=

res. Vale. III. Idus

Sextileis.

M. T.